

tionem ejus designari, illi præsto erunt maculae sive cruxæ, solarem discum vestientes; sicut & in aliis astris fieri norunt aliquando viri Docti (p); quibus sanè cruxis, astri facies obducitur, prout crassiores sunt, vel tenuiores, omnes ejus radii vel pars tantummodo prohibentur. Tunc planè densiores fuisse, quàm pro consueto more, cruxas illas oportet; sed intra tres tantum horas resolutæ sunt. Juxta hanc hypotheseos prodigio ab Evangelistis narrato vis tota manet; sua etiam ratio asseritur legibus à natura constitutis; nihil est, quod cum testimonio Phlegontis non conveniat, asserentem, ut infra demonstrabimus, universæ terræ faciem tenebris obducam fuisse, ut plenâ die stellæ spectarentur. Nec tamen inde prohibiti sunt Judæi, ut observat Maldonatus, & Jansenius, quin rebus & negotiis suis pro consueto more vacarent, vicariam soli operam præstantibus dubio lumine stellis, ac solaribus quibusdam igniculis, quos aer circumfusus ebiberat.

Cæterum res erat præter consuetas naturæ leges, in ipso medio diei cursu, alieno ab eclipysibus tempore, astrum Solis nigricans prorsus spectare: & si, densissimæ illæ ignorantia tenebræ Ideorum mentibus non affusæ fuissent, fieri vix poterat, ut digitum Dei non agnoscerent, atque ad mentem tandem revocati, saniora non receiverent consilia. Oraculorum veritatem his tandem veluti facibus spectassent (q), oraculorum, inquam, furorem Dei ac tenebras pleno meridie minitantium; persuasi tandem fuissent, illum, quem è cruce pendentem extremum spiritum agere cernebant, ipsum esse Dominum elementiorum, qui sub servili habitu, quid posset, non obscuris argumentis demonstrabat.

Voluit planè Deus majora virtutis suæ specimina ab ipso patibulo crucis, quàm reliquo vitæ suæ tempore, exhibere, ut sinistram ex aspectu crucis inditam mentibus Discipulorum, ac cæterorum omnium, qui morientem infami mortis genere spectaverant, ideam contrariâ aliâ ingestâ veluti retunderet. Equis enim alioqui inducere potuisset in mentem, ipsum hunc, quem morientem in supplicio spectabant, Messiam esse, Deum fortem, Prophetarum oraculis prænunciatum, nisi latere aliquid sub illis exuviis Divinum, hoc veluti emissio radio indicasset? Tantâ planè œconomia disposuit Divina Sapiencia ortum, vitam, & obitum Jesu Christi, ut cum maximè deprimeretur, tunc etiam maximè majoribus prodigiis extolleretur.

Cæteras omnes, quas asserunt, ejus prodigii rationes, magis quidem valent tum moribus dirigendis, tum ad captum & ædificationem vulgaris populi. E.g. solem ad insuetum parricidii facinus inhorescentem, radios suos abscondisse, quasi scilicet vultum à tanto scelere avertendo. Addunt, intimo veluti doloris sensu tactum Solem lumen in se solum recepisse, ac ne pareret, velut in abscondito, sese continuisse, quid Soli Justitiæ accidisset, eo em-

blemate designantem. Notant pariter, tenebras illas exprimere glomerantes in Judæorum mentibus tenebras, eosque in obscuro errantes, tandem misero lapsu casuros. Certum pariter erant tenebræ illæ divini furoris argumentum; caligo enim soli obducta, siderum lapsus, nox & tenebræ, non semel in Scriptura furori Dei exprimendo asseruntur.

Quoto tempore durarint tenebræ, satis luculenter expriment tres Evangelistæ, S. Matthæus 27. 45. S. Marcus 15. 33. S. Lucas 23. 44. habent enim: *A sexta hora tenebra facta sunt usque ad horam nonam*, nempe à meridie ad usque horam vespertinam. Solemne erat enim Judæis diem, sicut & noctem, in duodecim equalibus horas ita distinguere, ut sexta diei hora semper cum meridie congrueret, sicut & noctis sexta cum mediâ nocte. Cæteræ verò horæ non semper cum nostris diurnis horis congruebant; ex inæqualitate enim dierum factum est, ut inæquale etiam spatium variarum dierum horæ responderet. Itâ hyemalium dierum horæ breviores habebantur, longiores æstivæ. Cum verò æquinoctium tunc agebatur, & quartadecima lunæ, nona diei hora ferè incidit cum tertia vespertina.

Patres nonnulli insinuare videntur, tenebras illas sub ipso mortis Domini articulo paruisse; sed latius articulus ille accipiendus est pro toto eo tempore, quod à meridie ad usque tres inde horas effluxit.

Tenant alii, toto eo tempore perseverasse, quo Christus mansit in patibulo: quod ad literam falsum est, nisi juxta eorum sententiam, qui tenent, Dominum Jesum sub ipsum meridiem articulum cruci suffixum fuisse, sextâ nempe diei horâ, quemadmodum notat S. Joannes (r). Sed præstitum id citius credimus non inverosimiliter; habet enim S. Marcus 15. 25. in cruce illum sublatum tertâ horâ, nempe nona hora matutina, quod scilicet tempus ita distribuimus. Tertia hora circiter, vel nonâ matutinâ agebatur, cum Pilatus mortis sententiam dixit in Jesum. Major sanè Codicum S. Joannis pars habet, damnatum Jesum morti horâ quasi sextâ; sed & alia vetustissima legunt, Horâ tertiâ, sicut & apud S. Marcum expressum est. Post dictam ergo sententiam horâ illâ quasi tertiâ, deductus reus ad Calvarium suspensus fuit in patibulo. Nec sanè momento id totum peractum est; quare undecima circiter hora meridiana agebatur, cum elevaretur in cruce. Mansit injuriis adversariorum expositus, usque ad horam sextam, vel meridiem; quo temporis articulo inductæ tenebræ perseverarunt usque ad nonam, seu tertiam horam post meridiem, quemadmodum à cæteris Evangelistis luculenter expressum est.

Discutiendum est modò, quid Pagani eâ de re scripserint. Laudatur supposititia quædam Epistola S. Dionysii Areopagite ad S. Polycarpum, qua respondet calumniis Apolliphantis veteris amici sui, sibi exprobrantis, quasi non sincerâ fide testimo-

p Vide Regis Physic. l. 2. par. 1. c. 8. Gallicè.

q Amos 8. 9. Joel. 2. 10. & 3. 15. Ezech. 32. 7. 8.

r Joan. 19. 14. Horâ quasi sextâ. Et ver. 16. Tunc tradidit illum ut crucifigeretur. Alii Cod. Horâ quasi tertiâ. Ita Cantabr. Vech. Nonn. Petr. Alex.

s Dionys. l. 2. epist. 7. pag. 91.

nia Paganorum Scriptorum adversus Paganicam superstitionem asserret. Revocat igitur illi in mentem quæcumque, cum simul essent in Ægypto, oculati testes spectaverant (s). Tunc ambo juxta Heliopolim præstantes simul & adstantes mirabili ratione soli lunam concidere cernebamus, neque tamen tempus conjunctionis erat; ipsamque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam in memoriam illi revoca quiddam aliud: scilicet enim, quomodo viderimus illum lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & usque ad solis extremitatem pervenisse, ac tum demum resiliisse, & rursus non eadem parte occursum illum, & recessum extitisse, sed adverso diametri. Hæc si fas est, ei dicito; tuque, Apolliphanes, refelle, si potes, idque adversum me, qui tunc præfens una tecum adfui, & simul apex, & observavi omnia cum admiratione. Denique tunc nescio quo spiritu affatus, in divinationem quoque Apolliphanes prorupit, & ad me conversus, Hæc sunt, o bone Dionysii, ait, rerum Divinarum mutationes.

t In vita Dionysii. apud Corder. to. 2. pag. 273.

Legitur etiam alia Epistola supposititia S. Dionysii ad Apolliphanein, ad Christiana sacra jam translatum (t), in qua Dionysius hæc habet inter cætera ad Apolliphanein: Nobis Heliopolii degentibus, eram tunc annos circiter viginti quinque natus, & tu mihi ferè corvæ, die quadam sextâ, & horâ itidem ferè sextâ Sol horribiliter subeunte lunâ obscuratus, non quoddam Deus, sed quoddam Dei opus in verâ lucis occubitu luce non quiverit, tumque ex te cunctatus ego, quid tibi, vir prudentissime, super hoc videretur; tu autem ejusmodi responsum dedisti, quod menti penitus infixum, nullâ prorsus oblivione, nullâ vel mortis imagine dilabi possit. Cum enim totus Orbis tetrâ tenebrarum caligine uniformiter obductus fuisset, jam repurgari globus solis, & renitescere coepisset, tum assumptâ Philippi Aridæi regulâ, & contemplatis Cæli orbibus deprehendimus, quod erat aliàs quoque notissimum, non potuisse id temporis defectionem solis evenire: deinde observavimus Lunam ab oriente solem subivisse, ejusque radios obstruxisse, donec totum occuleret, quæ tamen aliàs ab occidente solita esset occurrere; quin illam quoque notavimus, cum ad extremam solis pervenisset, ejusque universum orbem obtexitisset, tum retro Orientem versus recurrisset; quamvis id esset tempus, quod nec Lunæ præsentiam, nec solis concursum postularet. Ego igitur, multiplicis eruditionis sacrarium, tanti mysterii nescius eum essem, sic te alloquebar. Quid sibi vult hoc rei, o doctrinæ speculum, Apolliphanes? Insolita ista portenta equorum nam tibi mysteriorum videntur indicia? Tu autem ore divino magis, quàm humana vocis fermone, Hæc sunt, bone Dio-

nyssi, inquebas, divinarum rerum mutationes. Denique cum diem annumque adnotassem, & tempus illud cum eo, quod Paulus mihi quondam ab ore suo pendenti annuntiaverat, signis clamantibus concordare sensissem, tum & veritati manus dedi, & me falsitatis nexibus expediti.

Hæc Author, qui sub e mentito S. Dionysii Areopagite nomine diu latuit: nostro tamen sæculo detectâ veritate, Scriptor quinti vel sexti sæculi, qui illustri illo nomine auctoritatem scriptis suis conciliavit, agnitus est. Nec irrita cessit viro fraus; namque constanti ad postremum usque sæculum possessione, æque apud Græcos & Latinos S. Dionysii Areopagite nomen obtinuit. Hujus igitur Dionysii auctoritas multum valuit ad persuadendum, tenebras illas in obitu Christi induxisse miram quandam & præter naturæ leges eclipysim. Quis enim oculato testi fidem negaverit?

Modò verò de auctoritate Operis, tanquam genuini S. Dionysii Areopagite factus, Eruditis planè non imponitur, persuasiss Lucubrations illas Scriptori quinti vel sexti sæculi deberi. Ferunt etiam, S. Dionysium eâ occasione stupentem clamasse: *Vel Author natura patitur, aut totius Universi machina dissolvitur* (u). Alii vero in hæc verba locutum volunt (x); *Deus ignotus, cujus causa orbis universus tenebris affusus, & turbatione concussus est.*

Phlegontis, Adriani liberti (y), testimonium majus est aliquid. Portò vir ille, religione Gentilis, Historiam Olympiadum 16. Libris complexus est, ab origine illarum usque ad an. J. C. 140. circiter. Narrat autem, anno quarto 202. Olympiadis, cujus erat exitus circa dimidium anni 33. Æræ, Jesu Christi emortalis, eclipysim majorem solito spectatam fuisse, deficiente ad eod Sole, ut ipsâ meridianâ horâ stellæ apparerent in Cælo. Quo pariter tempore, addit, validâ terra concussione in Bithyniâ maxima Nicenæ urbis portio corruit. Quo in loco Eusebius hoc Phlegontis testimonium laudat, hæc pariter reperisse se in vetustis Græcorum monumentis refert: *Anno Tiberii 18. Solis facta defectio, & tenebra super universam terram. Bithynia terramotus concussa, & in urbe Nicenâ ades plurimæ corruerunt.*

Julius Africanus apud Sycellum [z] refert, legi apud Phlegontem, sub Tiberio in plenilunio eclipysis plenam in Cælo visam à sexta usque ad nonam diei horam. Eadem legas in fragmento Africani apud Eusebium in Chronico, quamquam ipse nec Phlegontem laudat, nec de plenilunio habet quidquam. Mancus tamen locus videtur in Chronico; sed vix tamen exinde suspicandi daretur conjectura, hanc plenilunii circumstantiam in originali non defuisse; testatur enim Origenes in Genes. hom. 35. nihil apertum eâ de re præferre textum Phlegontis, quem referentes Eusebius, S. Hieronymus, Philoponus, Chronicon, Alexandrinum, omnes æquè eandem lectio-

u Vide Corder. not. in Epist. 7. S. Dionysii. Michael. Syncell. Hierosol. 1. 2. Oper. S. Dionysii. pag. 348. & apud Suidam in Dionysii. y Phleg. de Olym. piad. apud Euseb. Chron. pag. 202.

z Syncell. Chronic. pag. 322.

tionem afferentes, servant nihil de plenilunio.

Post Eusebium, & S. Hieronymum, quicumque inter Græcos, & Latinos de testimonio hoc Phlegontis aliquid resciverunt, omnes ferme habuerunt persuasum, non aliud referendum esse, quàm ad obitum Jesu Christi, credendi ansam præbente temporis circumstantiâ, componitur enim cum anno 18. Tiberii, Aera scilicet vulgaris 33. De eclipysi quidem sermo est apud Phlegontem; quæ autem tenebræ terræ faciem tenebant in obitu Christi, aliunde sanè quàm ex eclipysi repetendæ sunt: fieri tamen potuit, ut Phlegon in publicis sub Tiberio monumentis legens historiam tenebrarum sub meridiem, quibus tanta orbem occupavit caligo, ut vel Sidera in Cælo apparerent, nihil ultra discutens, eclipysim reputaverit. Hæc planè circumstantia, quæ imprudenti viro exciderit, tanti faciendæ non est, ut rejiciendum suadeat totam ejus historiam, testimonio Evangelistarum in reliquis omnibus sat conformem.

a *Animadvers. de Relig. Christ. t. 1. pag. 321. Gallid.*

b *Vide Toy-nard. Harmon. Evang. pag. 131.*

c *Philopon. l. 2. c. 2. pag. 88. 89.*

d *De Doctrina temporum, l. 12. c. 21. pag. 438. Vide etiam Tillemont. not. 35. in Jesum Christum 10. pag. 474.*

Hæc autem multò erunt persuasibiliora, si vera sint quæ ponit D. Ferrandus (a), nullam reipsa contigisse, sed ne potuisse quidem eclipysim solis quarto anno Olympiadis 202. sed unam tantùm lunarem spectatam semihorâ post tenebras, de quibus in Evangelio. Porro certus ejus eclipysis temporis articulus fuit paulò post decessum Jesu Christi; duravit autem 3. horis circiter, medio lunaris magnitudinis disco occultato (b). Ita factum est, ut unâ eademque die sol pariter & luna deficerent, atque tenebris vestirentur, ut sua de utroque astro fides constaret Prophetarum oraculis.

Ut autem ad Phlegontem regrediamur, alia sunt etiam quæ in ejus textu negotium facessant. Eusebius, Philoponus (c), Chronicon Alexandrinum, Julius Africanus apud Syncellum, apertè docent, eclipysim, de qua Phlegon, spectatam anno 4. Olympiadis 202. P. Petavius (d) contendit, corruptum esse locum, & pro anno quarto legendum annum 2. Olympiadis 202. Nullum pro se asserti sive M. seu veteris alicujus Scriptoris auctoritatem, nec incompatibiles esse Chronologiæ characteres cum epocha illa demonstrat. Observat tantùm, Eusebium, & Julium Africanum, Jesu Christi obitum nequaquam consignare ad quartum hunc annum, sed ad secundum vel tertium ejusdem Olympiadis 202.

Quis autem sibi persuaserit, testimonio Phlegontis illos uti voluisse, si persuasioni suæ, adedque intento minimè conducens, deprehendissent? Habebat ergo Textus Phlegontis non quartum, sed alterum annum Olympiadis.

Reponimus hæc, 1. Nefas esse, nullâ adigente necessitate, validis non cogentibus argumentis, veterem lectionem, uniformi omnium Exemplarium assensu confirmatam, corrigere. 2. Quando verum esset, deceptos fuisse Eusebium, & Africanum in componendo textu illo Phlegontis cum systemate suo Chronologico de

anno emortuali Jesu Christi, non tantùm tamen deferendus esset & lectio corrigenda, quippe quæ favet epocha hodie in Ecclesia maximè obtinenti. 3. Tandem Eusebius constituit Baptismum Jesu Christi per S. Joannem anno 1. Olympiadis 202. & 15. Tiberii, & ejus obitum anno 4. ejusdem Olympiadis, 18. Tiberii. Solæ Græci Chronici Editionis Scaligerianæ lectio ad paginam 202. & in Latina Editione ad pag. 158. docere Lectores potest. Addit Eusebius in eodem Libro, hujus systematis sui rationem notans, post annum 15. Tiberii (primus est Olympiadis 202.) Jesum Christum tres inde annos, juxta S. Joannem, in prædicatione perseverasse; quare ejus obitus necessariò consignandus est ad ann. 18. Tiberii. Ad Julium Africanum quod attinet (e), notat ille non obscurè annum 2. Olympiadis 202. qui cum Tiberii 16. congrueret, exitum imponere 70. septimanis Danielis.

Præter Phlegontem, laudat etiam Julius Africanus (f), Thallum quendam Græcum historicum, qui in tertio Historia suæ Libro meminit tenebrarum (eclipysim dicit) in obitu Christi. Cùm tamen hæc tribuat eclipysi, falli virum notat Africanus, quòd nulla sit solis eclipysis in plenilunio. An Eusebius locum hunc Thalli insinuaverit, cùm suppresso nomine hæc reperisset in monumentis Græcis habeat, verfor in incerto. Habet igitur Eusebius: Anno tertio Olympiadis 202. solis facta defectio, & tenebra super universam terram. Bithynia terræmotu concussa, & in Urbe Nicæna ades plurima corruerunt (g). Certa ætas Thalli manet in obscuro; cùm tamen S. Justinus (h), & Tertullianus (i) mentionem de illo habuerint, cœvus, vel fortè ætate vetustior Phlegonte statuendus est.

Ad Annales Phlegontis & ad historiam Thalli provocasse facilè Paganos censendi sunt Tertullianus, & S. Lucianus Martyr Antiochenus (k), ut certiores fierent de prodigio tenebrarum in obitu Christi. Suspiciatur autem D. Tillemontius, Phlegontem, & facilè etiam Thallum, totam eam historiam resciscere potuisse ex relatione, quam Pilatus de obitu Christi miserat ad Tiberium. Utcumque autem res habeat sese, nulla suppetit ratio satis convincens, quæ deserere nos cogat celebre hoc testimonium, aded planè conformè & Evangelistis & Chronologiæ à nobis constitutæ, ac tandem plurimùm Religioni nostræ favens.

Utriusque igitur testimonio adoptato, statuamus oportet, tenebras illas paulò ante Christi obitum causam suam prodigio debuisse. Quæ verò Phlegon eclipysim reputavit, hæc referenda potius in cruxam quandam ante solis discum concretam, quæ validè aded solares radios per tres integras horas retudit, ut nossem induceret, vicariam solis lucem gerentibus, quæ resulerunt in Cælo, stellis; tenebras verò illas longè latèque terram tenuisse. Nihil autem esse quòd miremur, si in Tabulis Astronomicis rei hujus historia desit; nec enim tantùm supra naturam fuit, sed

e *Vide ejus Fragm. in Chron. Græc. Euseb. pag. 77. & apud Syncell. Idem ibid.*

g *Euseb. Chron. Græc. pag. 202. h Cohort. ad Gent. Vide Voss. de Hist. Græc. l. 3. pag. 417. i Apologet. c. 10. k Apud Rufin. Hist. l. 9. c. 6. pag. 149.*

repugnat etiam naturæ legibus, ut eo tempore solis defectus contingeret. Hypothesis nubium, quibus aer occuparetur, nunquam congruere potest cum opinione stellarum in Cælo eâ occasione apparentium, quas planè stellæ nubes & caligo terræ offusa perinde ac solis lucem prohibuissent. Quæ

tandem habet Pseudo Dionysius Areopagita, de cujus auctoritate Scriptoribus quamplurimis etiam vetustissimis, impositum est, non repugnant tantùm historica veritati, sed & incommodis etiam pluribus ex eo obnoxia sunt, quòd prodigia nullâ cogente necessitate accumulunt.

## DISSERTATIO

### DE RESURRECTIONE SS. PATRUM,

Quo tempore Christus rediit ad vitam, ad Matth.

27. 51. 52.

**V**ix extremum spiritum egerat Christus, cùm terra mota est, (ait S. Matthaus 27. 51. 52. 53.) & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis. Veluti si Christus eo virtutis suæ argumento demonstrare voluisset, victoriam se de morte reportasse; venisse, se pariter ad revocandos velut è sepulchro miseros illos mortales, qui criminis letho oppressi jacebant. Tandem monumenta aperta sunt, ait S. Hieronymus ad Hedibium Epist. 52. in signum futura resurrectionis.

Cum igitur argumentum versemus, in quo jucunditatis est plurimùm multâ cum utilitate conjuncta, ac quaestiones ex illo plures non inane:ca formentur; fufius discutendum suscipimus, quærentes, quinam potissimum redierint ad vitam; quando redierint; qua formâ, quo corpore paruerint; an secundò obierint, sive potius ascenderint cum Christo in Cælum, ut æternâ non solum animâ sed & corporis vitâ fruenterent. Quæ in re integrum est cuique, ut quancumque maluerit, sequatur sententiam; agit enim de argumento in utramque partem versato à Patribus & Recentioribus quibusque Scriptoribus; neque ullum asserti Religioni discrimen, modò certa constituatur, ut reipsâ constituitur apud omnes, historia Evangelicæ veritas, totâ controversiâ ad circumstantias, rationes prodigi, & quæ prodigium consecuta sunt, redactâ.

Certus eorum numerus, qui ad vitam revocati sunt, sicut & qui potissimum revocati ad vitam statuuntur, exactè satis designandus, non sine temeritatis nota susciperetur. Hæc tantùm de illis Evangelista: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Non igitur omnes; & siquidem verum sit, uti constituunt Interpretes quidam, terræmotum illum & mon-

tium scissionem atque disrupta sepulchra non nisi Jerosolymis & in circumjacenti regione spectata fuisse; rectâ inde consecutione inferretur, illos tantummodo è viris Sanctis ad vitam rediisse, qui in iis locis sepultura mandati, digni sunt habiti, ut à Filio Dei eo beneficio donarentur. Si quis contendat, sepulchra Sanctorum patuisse sive per universam terram, vel saltem per Palæstinam, in tantâ terrarum extensione multo etiam magis in incerto vagabitur mens, ne quid statuat satis exactum, sive de numero, sive de qualitate eorum, qui ad vitam regressi sunt.

Sunt qui credant, vetustissimis quibusque Patriarchis id privilegii collatum fuisse, quòd scilicet rei æquitas postularet, ut quicumque longiorem traxerant sperando Jesu Christo moram, citius pariter sentirent ejus adventus & Passionis præsentissimam efficacitatem. Quæ si vera sint, privilegium illud obtinuisse oportet Adam, Abelem, Seth, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Abraham, Jacob, Joseph, Moysem, Josue, Davidem, Veteresque cæteros. Cùm autem non inverisimili conjecturâ credantur, veteres Patriarchæ antediluvianii, quin & cæteri omnes ante Abrahamum, vitam egisse ac sepultura fuisse mandati extra Palæstinam, arduo planè negotio ad vitam rediisse cum Jesu Christo demonstrarentur, eâ persuasione admittâ, sepulchra nimirum nonnisi in Judæa sive in circumjacenti Jerusalem regione patuisse. Adde, nonnisi verisimilia suspicari illos, qui tenent, revocatos fuisse potius ad vitam viros Judæis tunc superstitibus cognitos, vel ab eorum ætate non planè diffitos, quàm veteres illos Patriarchas, quorum nonnisi vetustate penè obliterata manebat idea.

Non abs re pariter reputaremus, Prophetas adventus, ortus, vitæ, mortis, & resurrectionis Jesu Christi potissimos testes, quorum plerique sanguine etiam suo veritatem illam confirmarunt, inter primos habitos fuisse, qui fructus obitus & resurrectionis ipsius sentirent. Quare præ-